

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Paulo II. Summo Pontifici

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

PAULO II. SUMMO PONTIFICI

Mathias [i] Palmierus felicitatem.

CUM & antea semper, BEATISSIME PONTIFEX, intellexerim, Sanctitatem Tuam in perquirendis Majorum Nostrorum splendidis gestis misericordie oblectatam; & nunc quo amplior sis, eo majori quoque, ut par est, studio excellentium virorum magnifica quæque perquirere cum alia quidem omnia, tum eo maxime, quæ vel ad divini cultus ornatum excolendum pertinent, vel ad sacras Patrum Nostrorum institutiones firmandas, illistrandasque deduci videatur; quod profecto studium non abs re sacrato pectori ab ineunte ætate tam firmissimo animi instituto divinitus inhæfuisse, omnes facile persensimus. Sed veluti in reddendis populo juribus, justitiae que servanda magnos excellit Patres, sic & in emendandis hominum moribus, ac sacris ad veram pietatem instituendis, perficiendisque summorum virorum gesta ceu exemplaria sibi animo proponat, quod autem imitetur egregie, aut longe exsuperet, rem plane Summo Pontif. dignam, & quam haec tenus vix paucis, divino nempe munere, contigisse fertur: viris quidem cum omni virtute summis, tum amplissimis opibus accumulatis. Ex quorum numero si unum aut alterum coram visendum Sanctitati tua adduxero, neminem factum meum reprehensurum arbitror. Legat igitur Sanctitas tua, si quando ab ingentium negotiorum, quibus assiduo obruitur, cumulis parum otii subripere valet, breve Aristææ viri quidem gravissimi de lxx. Interpretibus libellum jampridem a me factum, in cuius profecto lectione, Beatissime Pater, sacras Summorum Pontificum vestes, vasa, phialas, crateres, mensamque auream tum ipsius Sacerdotis ac Templi ornatum omnem sic cernere putabis, ac si ea omnia coram ante oculos lustranda exponerentur. Adduntur præterea, quod jucundissimum est legenti, cum sapientissimorum virorum dicta, responsaque gravissima, tum mira quædam ac prorsus divina sacrorum observatio. Accedunt ad hæc, quales, quantique maximi ac præstantissimi Regis erga Sacerdotem ipsum cultus, honoresque serventur. Ex quibus rebus facile colligi poterit, quanta maxima laude extollenda sit Sanctitas Tua, cum neglectus diu Dei cultus, ac Clericus ipse impiorum insolentia pene conculcatus, tua incredibili industria, tuo labore & diligentia sublevetur, exorneturque, ac in veterem ritum veluti ab exilio revocatus summa omnium gratulatione reducatur.

Valeat Sanctitas Tua sui servi memor.

[i] „*Mathias Palmerius (Palmieri) Pisanus nobilissima gente fatus, Abbreviator & Secretarius Apostolicus, qui eruditione græca latini naque claruit, & vita probitate, innocentia, frugalitateque præstítit. Vixit ann. LX. Aristæam nonnullaque alia in latinum transtulit. In Romana Lingua multa compilavit; demum*

„*de Bello Italico scripsit. Migravit ad superos die xix. Septembribus MCCCCCLXXXIII. Hac omnia ex Cenotaphio in Basilica Sanctæ Mariae Majoris Romæ a Floravante Martincio relato Rom. Sacr. pag. 228. excerptimus. Vide insuper, si vacat, Jacob. Volaterr. Diar. Roman. p. 189.*